

habui hac hyeme prælectiones in mineralogicis & metallurgicis, earum privatissimas audivit Vir in metallurgicis bene versatus D<sup>nus</sup> Hofgaard. Iter ingressurus iste meus amicus, ut apud Vos eruditionem et experientiam suam inprimis in metallurgicis adaugere queat, meam simul cum hisce literis salutem & reverentiam Tibi, Vir æstumatissime! dicendam promisit, & quam intense pro Tua senectute, utinam per seriem annorum feliciter provehenda, Vota facio.

Vernum tempus anni proxime præterlapsi à negotiis Kongsbergensibus mihi vacabat, ideoque ibi herbatim perstravi montes eorumque cacumina inter alpes prominentia. Inde copiosam plantarum messem retuli, ex qua Tibi transmitto plantæ exsiccatae specimen Arenariam tetragyniam, cujus Styli IV. erecto reflexi, stigmata obtusa: Stamina X. linearia, destituta longiorum glandula: Capsula ovata apice 5fariam dehiscens. Cetera indicabit plantæ specimen: Habitat in sylvis umbrosis ad radices arborum putridas & alibi, floret ineunte Junio. Pezizam eodem tempore collegi superne concavam coccineam, inferne albam sessilem substantia carnosa lactea: Habitat super ramis alni putridis terra sepultis unde vix prominet superficie concava colore crocineo distincta in umbrosis mediæ montis.

Felem m: & f: pilis laxis aliisque notis a domestica variam inveni apud rusticos alpium Norvegiæ, edit vegetabilia & carnes. Sine dubio eadem est cum ea quam in Scanico itinere Tu quondam vidisti.

Plura hac vice non addam si modo Tuis iterum me erudire velis & credas me esse ad urnam usque Tui nominis sincerum cultorem. Dabantur Hafniæ d. 10. Aprilis 1776.

Propediem videbis obs: in itinere per Hungariam & Transylv: collectas. Hac æstate museum Moltkianum in ordinem redigere & nova describere aggredior.

a Monsieur Monsieur Charles de Linné Chevalier de l'ordre Nordstjerne Archiater & Professeur de l'Université  
Membre des Sociétés illustres a Upsal